



Viuilo magna corporis & animi fortitudine fuit præditus. hunc sibi Hermanduri regem elegerant. Is suam gentem optimè gubernauit, & militari gloria sibi apud finitimos magnū nomen comparauit. Eo tempore Vannius Sueuis imperabat, quem Druso Tiberij filius ipsis præfecerat. Itaque Viuilo ægrè ferens, Vannium Romanorum auctoritate Germanis præesse, ipsum regno pellere statuit, atque in eo Vandone & Sidone, Vannij ex sorore nepotibus, opera usus fuit. Vannius sæpe Claudij Imperatoris auxilium petijt. Verùm is nequam consultum putauit Germanos bello lacessere. Itaq; Vannio tutum saltem perfugium promisit,

si regno pelleretur. Interim tamen Publium Atilium, qui Pannoniæ præsidebat, admonuit, ut nouas aliquot legiones conscriberet, & Danubij ripam obseruaret, ne uictores fortuna elati, Romanam quoq; pacem turbarent. Adduxerat Vannius auxiliares quoq; copias ex Sarmatis & Iazygibus. uerùm prelo fusus, ad classem in Danubio operientem perfugit. Hac ratione Vando & Sido auctoritate Viuili regnum auunculi inter se diuiserunt, Anno post Christum natum quinquagesimo. Auent. lib. 2.